

positis inde fideiussoribus. Riccardo de Argenteria et Gufrido de argenteria fratribus et concivibus nostris et predicto francisco unde voluntarie tam nos predicti franciscus et Sibilla principales debitores quam vos prenominati fideiussores anteposuimus et obligavimus vobis omnia et singula bona nostra mobilia et stabilia et heredum nostrorum existencia ubicumque et specialiter nos predicti franciscus et Sibilla principales debitores domum unam nostram quam habemus in pictagio Sancte Marie Civitatis Baroli a medio pariete iuxta domum fasani a medio pariete iuxta domum Iudicis Bartholomei de Ionatha a medio castro iuxta domum quandam iudicis Roberti de argenteria et iuxta viam et omnes boves nostros cum potestate propria auctoritate capiendi nullo proinde curie expectato mandato et absque denunciacione qualibet vendendi et quolibet alienacionis titulo distrahendi quousque vobis tam de predicta quantitate pecunie quam omni dapno expensis et interesse quas vel que vos proinde pati seu subire quoquomodo contigitur plenarie satisfiat. de quibus dapnis expensis et interesse stabimus soli simplici verbo et nullam a vobis probationem aliam exigemus. nobis quoque discendentibus vobis anteposicionem et obligacionem eandem et quibus eam vendideritis ab omnibus hominibus. Maioris quoque securitatis causa tam ego predictus franciscus debitor principalis quam nos predicti fideiussores corporaliter ad sancta dei evangelia iuravimus adimplere omnia supradicta et contra non venire. Quod scripsi ego predictus Iohannes puplicus Baroli notarius qui predictis rogatus interfui et meo signo consueto signavi. (*Segue il segno*).

† Marinus q. s. Iudex.

† Angelus de flore puplicus Baroli notarius testatur.

† Nicolaus puplicus Baroli notarius testatur.